

180

MV 10

Rubr. XVIII. Nro. 32. C.

Gymnasial - Bibliothek

zu Cöthen.

De philosophia Turcarum.

Ut Examen 1790. 22. Mart. hora 9. antem. ha-
bendum indicaret, scripsit
C. F. R. Vetterlein, Rektor.

Cotheris, impressit Schændorf.

Des Philosophie's Theorie.

Es können also zwey Fälle eintreten

oder ein dritter

oder ein vierter

Chef d'Institut für Soziologie

Mirabuntur fortasse Lectores, me hunc libel-
lum inscripsisse de philosophia Turca-
rum, cum constet, Turcas nec philosophiam,
quæ nobis hoc nomine venit, nec libros vere phi-
losophicos habere. Sed equidem puto, mentem
ingeniumque humanum ad quædam quasi initia
& elementa philosophiæ apud eos progressum
esse, rationemque ita quodammodo ab iis adhi-
beri ut eos quasi philosophari dicere possimus.
Nihil enim philosophia aliud est, quam ratio
ipsa mensque humana de causis rerum &
principiis naturæ queritans. Etenim non inutilem
crediderim laborem in eo possum, ut videamus,
utrum populi etiam barbari mentis humanæ vi
ad altiorem rerum cognitionem attingant; &
quæ sint in causa cur philosophiæ integræ ab iis
negligatur studium. Sic enim intelligitur Histo-
riæ generis humani pars, quæ & ipsa mirifice
facit ad rerum divinarum & humanarum scien-
tiā.

Neque me latent quæ sint in causa, cur
philosophiæ senioris studium sponte & consulto

susceptum apud eos neglectum iaceat; ita ut ad illud nunquam se applicare velint. Occurrit nimirum genus illud imperii despotici & insanientis, quo oppressi de mentis cultu ingenuo cogitare homines non possunt; deinde religio eorum non solum fana ratione destituta sed etiam saeva & intolerans, quæ potentia civili armata omnes libere sentiendi dicendique conatus solet reprimere. Quibus & tertiam causam addere possumus. Illa enim Tatarica ingenii tarditas in Turcis quoque a gente Tatarica ortis apparet, quamquam de rebus quotidianis nec admodum abstrusis iudicio utantur sic satis acri & fano. Sed mentis vigor ille divinus ingeniique vis ignea, quibus in invenienda & perspicienda scientiarum altissima & maxima opus est, a natione hac aliena esse videntur, ut quæ & otii & rerum frivolarum amantior est, quam disciplinæ difficillimæ & amplissimæ cultoribus convenit.

Attamien hi quoque barbari ad initia quædam & simulacra philosophiæ processerunt: quod quidem in historiis aliarum etiam gentium non cultarum, in barbariemque delapsarum evolvendis sœpius invenire memini. Etenim dicit five deus five natura ingenia horum per vias quasdam ad rerum intelligentiam, ita quidem ut ratio ipsos lateat. Quibus enim a supremo numine ducimur rationes nobis vulgares quidem
videri

videri solent: sed eo certius ad finem aliquem
 obscurum nobis sed optimum trahimur. Sic
 viæ quædam rationesque sunt quibus gentis cu-
 jusque ingenia certe nonnulla ad rerum cogni-
 tionem interiorem & philosophicam ducuntur;
 in quibus primum est religio unaquæque super-
 stitiosa licet & inepta; deinde historiæ & lin-
 guarum externarum cognitio: quibus rebus ef-
 ficitur ut in barbara etiam ætate feliciora faltem
 ingenia altiorem naturæ scientiam attingant in-
 cipientque philosophari. Nam qui usu rerum
 & vita communi animum habet expolitum &
 formatum, is, cum negotiis vacat otioque a re-
 bus necessariis fruitur, avet scire aliquid veri,
 semperque occulta cupit cognoscere. Quo fit,
 ut cum de rebus, quas ob superstitionis religio-
 nisque metum solet horrere & pertimescere, co-
 gitat secum easque animo versat, non possit non
 in rationes, quibus niti videntur, inquirere, qua-
 lesque sint cogitare: quod & ipsum iam philo-
 sophari est. Etenim religio quævis instituta si
 positiva omnia ferre attrectat & sibi vindicat;
 quæ in philosophia tractantur, ad omnesque au-
 det respondere quæstiones graves illas & quas
 veri cupidissimus maxime sibi expediri solvique
 optat: quales sunt de origine & interitu homini-
 nis & mundi, de utriusque causa, de deo, de
 vita beata. Quæ res in causa est, cur etiam ii,
 qui in populis christianis philosophaturi sunt, ple-
 rum-

rumque de paterna religione & opinionibus in
 pueris conceptis ante alia incipient querere:
 quasi non nisi vinculis his rejectis in lucem phi-
 losophiae possint evadere. Sed haec ipsa vincula
 & impedimenta prius a via amolienda, tantum
 abest ut iis sint noxia, ut potius amorem, quem
 habent, veri & justi faciant ardentiorem &
 constantiorem. Ita fit ut religio popularis in-
 geniis certe paucis ad scientiam rerum divinarum
 & humanarum vel invita viam faciat. — Hoc
 ostendere nobis possunt sectæ s. hæreses, quæ in
 unaquaque religione ortæ sunt plurimæ. Sunt
 enim nihil nisi conatus religionem vulgarem &
 dominantem cum ratione sana, ut putant secta-
 ri, conjungendi & reconciliandi. Ex quibus
 religionis institutis cum sensu communi permix-
 tis mira sæpius exortæ sunt opinione& doctrinæ,
 quarum multæ quidem satis absurdæ sunt
 & ridiculæ, nonnullæ vero mirandam gerunt si-
 militudinem speciemque doctrinarum, (s. syste-
 matum) a philosophis ingenuis ipsisque Græcis
 inventarum. Atque hoc ipsum est quod hisce
 pagellis volumus ostendere, exemplis a Turca-
 rum gente adhibitis: quamquam eandem rem in
 Jndis, in Iudæis aliusque barbaris, ipsisque
 sectariis Christianorum a philosophia alienis
 possemus demonstrare. Mystici aliique fanatici,
 qui, doctrinæ theologicae expertes, in res divi-
 nas rimantur, in sententias sæpius incidunt, sub-
 tilissi-

tilissimis liberæ mentis inventis decretisque philosophorum metaphysicis mirum in modum simillimas; incomitis licet impurisque verbis prolatas, & ineptūs, quibus abundant, ceteris corruptas.

Sic igitur in Turcis quoque sectæ religiosæ exortæ sunt, quæ disciplinarum philosophicarum decretis similia statuunt, de quibus nunc breviter agendum est; ante tamen pauca de cultura mentis humanæ, omniq[ue] studiorum, quæ apud eos obtinent, genere, dicenda sunt: ex quibus appareat, qualē solidiorem rerum naturæque cognitionem possint habere. Solent enim certæ disciplinæ philosophicum antecedere studium. In iis vero, quæ dicturi sumus, consulimus ea, quæ de his rebus Busbeck, Ricaut, Businello, Büsching, Lüdecke, Volney memoriae prodiderunt.

In scholis, quas habent, publicis, Mædaries, quæ cum templis coniuncte sunt, traduntur linguae Arabica & Persica, illa ut Coranum legere s. ediscere possint, hæc ob stilum, in quo formando & ex Persicis ornando exercentur; præterea colunt historiam vernaculam Othomannorum; sed an ita tractent ut rerum memoria, quod fieri debet, manuducat animumque præparet ad philosophiam, plane dubito. In Persica

sica vero lingua addiscenda legere solent historias fictas, quas Romanas vocamus, easque ineptas & molli dictione conscriptas, ut quae de amatoriiis portentosisque agant rebus, qui Orientalium genus est. Ex his igitur fabulis Romanensibus, ab iis, quas composuerunt Marivaux & Fielding, diversissimis humana natura, quæ unica fere philosophorum materia est, nullo modo cognosci potest. — Cetera litterarum studia præter iuris & sacrorum scientiam, quæ fontem impurum habet Coranum, Othomannis prorsus sunt ignota. Neque enim historia descriptioque naturæ, neque memoria rerum gestarum universalis, neque scientia Græcæ Romæque linguae, neque alia scientia arsve liberalis ratione & methodo colitur probabili. Medicinam attrectant, sed indocte, & Chemiæ Anatomiæque auxilio destituti. Sunt qui libros ab Averroë & Avicenna de re medica & ipsa philosophia arabice conscriptos legere se dicant; sed ad ostentationem magis quam ad utilitatem, & ita ut pro divina ubertate & subtilitate Aristotelea argutias meras & spinas exinde hauriant. Nam hi scriptores satis barbari Aristotelem pessime in suam transtulisse dicuntur linguam. Hinc in Physicis rudes sunt & indociles; sed sunt iisque non pauci inter ipsos gentis imperiique principes qui in Alchimia, Astrologia, Magia, Mantica frustra detinentur, ne dicam infaniunt.

niunt. Alitur publicis impensis in aula Astrologus, cuius responsis & consilio ipse Divan uti solet. Morum denique doctrinam eo nomine dignam habent nullam; utuntur tamen bonis ad vivendum sententiis, iisque breviter & ex more Orientalium symbolice & allegorice expressis.

Nihilominus tamen consideratio religiosæ suæ, ita a quibusdam instituta ut eos rerum experientia vitæque usus atque ipsa exigua licet doctrina litterarum adiuvaret, Muhamedanos in classes sectasque separavit; e quibus sunt aliquæ philosophicis Græcorum scholis similes, adduxitque eos in opiniones inventorum philosophorum speciem gerentes. — Sic suos habent Epicureos; nomen est Calendery; qui omnem abstinentiam affectatam, omnemque tristitiam atra bile motam, superstitionis solitam, odio habent; & quemcunque dat Deus diem, ad usum existimant dari; uti vero sua ætate homines, fi-
curent ut fibi bene sit & indulgeant genio.

Alia quædam apud eos hæresis eorum, qui Melumite nominantur, dogma aliquod tuetur, quod adeo ultra philosophos plebeios sapit; posse nimurum homines in hoc vitæ suæ statu ad perfectam dei cognitionem pervenire, si prius se ipsos penitus cognitos habeant, & ut humanam
ita

ita divinam intelligi naturam. — Iste autem quibus nomen Munachitarum est, more Pythagoraeorum, metempyschosin flatqunt, horrentque omnes animalium imagines.

De secta vero Muhamedana illa, quæ Hæretitarum dicitur, vellem uberiora possim afferre. Dubitare dicuntur de omnibus, nihil affirmare, scientiam veritatemue hominibus negare, deo tribuere soli. Quæ sententiae eos reddunt cum in consuetudine faciles, tum in rebus gerendis ad officia & obsequia paratos. In colendis tamen sacris ritibusque paternis religiosi sunt & diligentissimi. En! quasi Academicos in barbaris hisce Tataricis!

Quam difficilis de libero arbitrio & fato sit quæstio inter philosophos constat: quod etiam a Muhamedanis animadversum est. Hinc exorta est secta Schibaritarum, quæ statuit, regia supremo numine, ut omnia, ita etiam hominem; pendere autem omnes actiones nostras e voluntate divina, ne velle quidem nos posse quidquam, nolente Deo; & quæcunque agimus, proficiisci e naturali quodam certoque principio; animum ita totum legibus teneri physicis, ut aqua, quæ e proclivi decurrit, & gravia, quæ feruntur deorsum. His contraria credunt Cada-ritæ. Nam fatum & immutabilem rerum humana-

manarum nexum tollunt; hominibus liberam
tribuunt voluntatem, & putant, nisi ita esset,
oportere deum videri & causam malorum &
auditorem peccatorum.

Magna iurisperitorum pars & eorum qui
sacerdotiis in Moscheis regiis funguntur, con-
stituent ordinem & quasi disciplinam Ischraki-
tarum: quæ cum primum secta religiosa fuisset,
liberaliorum paullatim adamavit doctrinam. Ho-
rum ex sententia ante omnia curandum est, ut
diligamus a Deo, quod fieri non potest, nisi
humanum diligamus genus. Hinc magna erga
egenos beneficentia, magna comitas & in ami-
citia constantia. Ceterum in rebus sacris mag-
na utuntur libertate, sed etiam prudentia. Co-
ranum non omnino tollunt, laudant in iis, quæ
bona habet: cetera ut insulsa & stulta contem-
nunt. In eos, qui alienas sequuntur religiones,
utuntur humanitate, feruntque æquo animo, &
quando cum Christianis disputant, mysteria illo-
rum non ominino reiciunt, sed rationes afferunt,
quomodo talia dogmata possint ferri. Qui cum
in rerum natura contemplanda finem bonorum
ponere dicantur, in rebus vero sacris tam cir-
cumspetto iudicio tamque laudabili utantur cau-
tione erga multitudinem (cuius in religione sen-
tentias nemo sapiens unquam palam impugna-
bit) — video, meo iure posse afferere, fontes
non.

nonnullos sapientiae e veteri Græcia, schola
forte Academica ad dominos hosce recentioris
Græcia manasse.

Cum autem inter philosophos cum veteres
tum recentiores fuerint non solum qui religio-
nem patriam suorumque maiorum reiicerent,
spretis sacris receptis omnibus, quos Deistas
appellant, sed etiam qui divinam adeo tollerent
naturam, mentemque in mundo regnaticem ex-
stare putarent nullam, quos Atheos dicunt, utris-
que ortum dedit Muhamedismus, sive potius
rerum divinarum investigatio, ab ista superstitione
consideranda profecta & initium habens.
Sicut enim umbra & adumbrata in pariete ho-
minis figura ad artem statuariam inveniendam
dedisse fertur ansam; sic cogitatio a religione
quavis cœpta occasionem præbuit investigationi
parum fere rerum quæ a natura involutæ esse
videntur; & ita ad veras falsasque perventum
est sententias. — Charavidschitæ igitur om-
nes, quas dicunt, revelationes tollunt; neque
enim ullum putant fuisse hominem divinitus in-
structum & religionis instituendæ causa cœlitus
demissum, nullum qui non potuisset falli & er-
rare. Illud autem minime omnium esse proba-
bile, deum uno quodam viro unave gente usum
fuisse, si humano generi religione revelanda vo-
lueret succurrere, & aut nullam aut omnes in
terra.


terrarum orbe institutas auctoritateque innixas a deo proficisci debere religiones, ut qui universum mortalium genus æqualiter curet & foveat. Reiiciunt ergo Muhamedismum quem magis putant dominationis & imperii consiliis quam virtuti hominum inservire, nec immerito.

Sed longe audacius sentiunt Müsserini, qui in rerum natura acquiescere se dicunt, deumque esse negant. Naturam dicunt internam propriamque rerum ipsarum vim „in qua cuiusque rei causa sita est. Hæc est, quæ omnia, quæ vivimus, sua sponte componit inque suo conservat nexus; hæc, quæ solem, lunam, astra prægenuit & in suo cogit manere cursu, hæc, quæ homo valet ad standum sequi moyendum, quæ plantæ instar nascitur & augetur vigetque; hæc illa vis & natura admirabilis est, quam existare „ita appareat, ut, tanquam visa, mente comprehendatur.“ — Illam alteram mirabiliorem mirabilis hujus naturæ causam & deum existimant divinare nos, non videre. Dilemmate utuntur hoc: sive deus est, sive non est. Si est, non ita sapiens est, ut nobis eum fingunt præceptores. Neque enim procreasset homines quales nos sumus Atheti, qui ipsius vim natu ramque negamus, eique ne tantum quidem tribuimus, ut esse eum putemus. Sunt in his Atheti multi ex iis, qui legibus præfunt & imperiū

perii Othomannici principes, quorum haut patu-
ci morum elegantiam præ se ferunt non vulga-
rem. Qui vero Atheismum probant, occultare
solent hanc suam doctrinam & ideo Mufferini
vocantur, h. e. qui mysterium habent. Hi
vero multo magis moribus civilibus & hospitali-
tati comitatique operam dant; studiis eorum,
quibuscum usum habent, liberaliter inserviunt,
amicitias colunt & inter se magna libertate de
rebus publicis & divinis disputant. Boni igitur
civilesque mores nec ab Atheis semper alieni
sunt: si modo ita sunt dicendi, qui non tam
numen divinum quam deum ανθρωπομορφως
conceptum tollere sustinent. Evidem quæ Stra-
to, Spinoza aliisque de hac re philosophati sunt,
quæque a contrariis disputata, ex eo manasse
crediderim, quod notionem ideamve individui
& personæ, ex rebus generi cuidam subiectis
comprehensam transferre solemus ad numen divi-
num, quod singulare quiddam est, nullique ge-
neri subiectum.

Indi-

Indicemus nunc nostrorum discipulorum examen: in quo nonnulla specimina dabunt lectio-
num, quæ sunt: Tacitus, Velleius, Virgilius,
Cicero de finibus, Homerus, Plutarchus, Geo-
graphia. Orationes simul habebunt, *C. H. Bramigk*, Cothen. de historia Geographiæ; *J. Augustus Richter*, Scheudero - Dessaviensis, de cultura artium liberalium brevi semper temporis spatio inclusa. *Wilhelmus C. Kohl*, Furstenbergensis, de sacris Muhammedismi ritibus; & hi tres quidem suas ipsi composuerunt orationes. *Friedericus L. Richter*, Scheuderodeffl. de libertate scribendi. *J. Wilhelmus Rindfleisch*, Cotheniensis, demonstrare studet: Fuisse olim Gigantes; sed *Friedericus A. Rindfleisch*, Edderitienensis, fuisse nullos. Primus & secundus abituri in Academiam scholam iubebunt valere.



AB 155562

ULB Halle
005 301 36X

3



Sb.

N



8


urcarum.

ora 9. antem. ha-

cripsit

Rector.

chendorf.



Farbkarte #13

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black

B.I.G.

